





13 4  
1711, 148 =

# DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA DE **UROMANTIAE** **ET UROSCOPIAE** **ABUSU TOLLENDO,**

*Quam,*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBUR-  
GICO, DUCAT. MAGDEB. GUBERNATORE,  
RELIQVA,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,  
*GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,*

PRÆSIDE

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,**  
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN.  
ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN.

*DN. PATRONO, DOCTORE AC PROMOTORE SUO,*  
*omni Observantiae atque Honoris Cultu etatem colendo,*

**PRO GRADU DOCTORALI**

Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis,  
More Majorum Solenni obtinendis,

*Ad d. Septembr. MDCC XI, boris ante & pomeridianis*  
*Publicæ Eruditorum disquisitioni submitteret*

**BERNHARDUS RAPPARD,**  
CLIVIA CLIVENSIS.

---

HALÆ MAGDEB. Typis CHR. HENCKELII, Acad. Typ.

DISTRIBUTIO IN HABERVALE MEDICAE  
DE  
**UROMANIA**  
ET HYGROSCOPIA  
ARRISI TOTUENDO

RETORE MAGISTRICINTISSIMO  
SIBERISMO RUMINIS AD DOMINUM  
DAPHNIPSO MELILO  
CITRUS AGRUMA CORTENIA  
IN AGARDIANA HEDEREA  
BELLUSCAZIO VITACEA CUCUBALIA  
BALSAR

UNIVERSALIS HERBASTAHL  
MELILO EPHEDRA HEDERA SOTHER. ORIEN.  
CITRUS AGRUMA CORTENIA  
CITRUS AGRUMA CORTENIA

**PROCTADA BOGDORNI**

Summa propter Anemoneum, percutientem et frigidi.

Melius Medicinae operis est.

Propter percutientem et frigidi.

Propter percutientem et frigidi.

**BERNHARDINA RAPTORI**

CITRUS CITRUS

UVE MAGDES. Trop. CHR. HENGSTEN. ETC. TROP.



## PROOEMIUM.



I quidquam est, quod exquisitæ scientificæ cognitioni ingens impedimentum objiciat, & à necessario solertiore scrutinio, animum ad neglectum & inertiam inclinet, est hoc certe intempestiva credulitas. Dum enim rerum, quas jam in ipso conspectu positas arbitramur, ulteriore operosam investigationem necessariam esse, vix in animum inducimus suspicari; sit ita, ut qualicunque conceptui de talibus, sive oblate, sive formato, acquiescamus, neque solertius introspicere, & curiosius evolvere veram constitutionem, cordi habeamus. Jam, si hujusmodi persuationi adhuc insolitum aliquid, & velut admirandum, adjicitur, percelluntur inde veluti stupore quodam, segniores animi, ut de absuris talium ostentorum causis eruendis, desperantes, ne quidem in veritatem totius rei, an illa utique sic se habeat, severius inquirere ausint. Imo tanto minus tali dubio concipiendo animum submittunt, quando imposturis quibusdam, aut præstigiis, de veritate facti convi-

cupis

A 2

ctos

Etos se putantes, ne differiminis quidem amplius recordari meminerunt, sed omnia potius, incaute & improvidè, sibi persuaderi patiuntur. Non autem huic probro tantundem expositæ sunt scientiæ, rationalibus contemplationibus propriæ superstruendæ; Quam artes, adminimum in prima sui inventione ab experimentis incipere necesse habentes. Ibi enim, si experimentum commodè succedat, quamvis etiam subinde omnes, imprimis remotiores, rationes intellectui non dilucescant, fit tamen subinde, ut non solum directo atque simplici experimento fides adhibeatur, sed etiam latius, quam verus rei ambitus mereatur, minus circumspetè extenderetur. Jam si insuper accedit scandalum illud, jam pridem à Philosopho notatum, ut *veritatis vim occupet error*, ubi *publicus factus est*; mirum esse amplius non potest, si etiam plerique præjudiciis abrepti atque occœcati, malint cum numerosiore cœtu errare, quam odiosam suspicionem profiteri, quod tanto cœtu temere credere, inconsultum potent, & veritatis luculentiora documenta postulare. Interim hac ratione non soventur solum, sed propagantur, & majores, de tempore in tempus, vires acquirunt errores; neque solum scientiæ, & veritatis evidentiæ, plurimum detrahitur; sed subtrahitur etiam omnis usus, qui à veriore rerum harum evolutione in generis humani necessitates passim redundare potuisset. Non placet plura, ut in genere, de hoc in commido differere; cum inspecie Medicina, magnum numerum exemplorum nobis facile suppeditare possit. Quid enim in illa familiarius occurrit, quam Empirica credulitas, imprimis non à qualibuscunque fundamentis artis, praxin auspicantium: ubi nihil est familiarius, quam improvidæ illæ experimentorum, à valdè restrictæ atque

atque limitata sua efficacia, translationes & extensiones, ad absolutam quamcunque, & nihil circumscriptam, potestatem, quae sine ullis conditionibus aut respectibus, quicquid ferè artifici in mentem venit, par atque composit per perpetrare. Quæquidem licentia omne quoque frenum excutit, si arrogantiæ & avaritiæ callo, frons & os obduruit; unde neque sictorum neque dictorum, neque pudet amplius, neque piget. Non autem nostri hoc permittit, sive temporis, sive instituti, ratio, ut huic turbæ immisceamur; satis nobis erit, è magno numero abusuum talium, unum perstrinxisse; qui, licet jam à tempore non ita exiguo, à viris etiam non nudè atque temere contradicere suetis, neque sine solidorum argumentorum ponderibus hinc inde notatus sit, atque damnatus, nequam tamen, neque fidem, neque famam, adeò amissit, quin malis artibus, & fatua vulgi hominum credulitate, adversus omnes saniores remonstrations, sustenteretur. UROMANTIAM designamus, & affectatam atque intempestivam UROSCÖPIAM; Hanc pro IN-AUGURALIS DISPUTATIONIS thémate nobis elegimus, justa censura ita notandam, ut quid ambitu, quid fallaciis, quid vanitate, partim contra rerum veritatem, partim contra utilitatem, partim contra bonos mores, imò vel altiora quædam, offendere homines faciat & inducat, quanta fieri potest brevitate, ostendamus: siquid tamen etiam utile, è prudente atque moderato usu expectari possit, hoc ipsum etiam dignitati suæ atque justo usui afferamus.

Deum autem T.O.M. fontem omnis veræ lucis, ut tenebras & umbratilia fallaciarum idola, dissipare aggredientes, benignissime juvare atque Präsidio suo potentissimo suffulcire velit, humillime imploramus.



**R**OSSOPIAM, seu *inspectionem urinarum*, pro qualicunque *signo* inde colligendo, qualis sit certorum affectuum constitutio; & URO-  
MANTIAM, seu *divinationem de omnibus* morborum circumstantiis, tam *speciei*, quam *peculiarium* quarumlibet circumstantiarum  
intuitu, equidem quilibet agnoscet admodum inter se differre; Interim, cum familiaris, & in primis *plebeius*, *abusus*, antiquum suum morem etiam hic sequatur, ut *confusioni* rerum  
in se diversarum, indulgeat; & hic ipse error, non solum a te-  
meraris atque imprudentibus deceptoribus, omnibus viri-  
bus sustentetur atque soveatur: sed & illi ipsi etiam, qui suc-  
curre, & ob sistere abusibus deberent, passim hic vel defici-  
ant, vel destituant necessariis auxiliis atque subsidii: fit  
ita, ut *abusus* illi non solum nunquam extirpentur, sed po-  
tius passim, novis velati *subsidis* instruantur atque fulci-  
antur.

## II.

Obfirmat hunc abusum plebs inconsiderata, vocabulo  
sibi usitate, *des Wasser besehens*; Ut pote quo non tam quam-  
libet urinæ *inspectionem*, in certis affectibus, humorum mas-  
sam manifestus alterantibus, maxime oportuno tempore  
instruendam, & magis, pro *statu morbi*, & *processu* secessio-  
nium, quam pro *specie morbi* agnoscenda, aliquando utilem:  
sed promiscuam, de omnibus atque singulis morbis, earum-  
que tam *preteritis*, fortuitis etiam, quam *presentibus*, cir-  
cumstantiis, ita de ipsis ægris, ratione *sexus*, *ætatis*, quin a-  
iliarum, sepe etiam ridicularum, circumstantiarum, *divinatio-*  
*nem*, & Pythias quasi sortes, hoc ipso vocabulo designat.

## III.

Quousque verò se extendere possit hujusmodi homi-  
num imprudentia, ex eo satis colligi potest, dum exempla  
utique talia, propermodum indubia fide, memorantur, ubi  
quidam hujus census artifices, non solum ex oblate *urina*, af-  
fecium

fectum quem æger perfentisit, verè, tanquam de scripto legerent, recitant atque enarrant: sed etiam insuper, *sexum, etatem, habitum, atque platuram, corporis, ad capillorum usque colores*, ita describunt, ut quasi coram intueri regnos, cum stupore plebeiorum interrogantium, segerant. Habeimus hujus rei exemplum, à viro fide dignissimo nobis memoratum. Degebat hic per aliquot tempus in inclita quædam, & hominum multitudine abundante, urbe imperiali, juvenis adhuc illo tempore, acri ingenio atque alacri: Cum itaque inaudivisset, versari ibi plebeium hominem, murarium fabrum, qui mirifica facultate, ex Urina omnia perspicendi polleat, juvenili curiositate, cum duobus coetaneis aliis, consilium init, transmissa omnium trium inter se confusa urina, effatum ejus experiri. Artifex sine omni hæficatione, non solum quod sanorum, & nominanum trium, hominum, illa sit urina, pronunciat: sed singulos etiam, quo sint oris, corporis, in vestium habitu, describit.

Licet autem non omnes, qui hanc artem profitentur, parrem hic habeant exquisitam scientiam: Accedunt tamen alii proprius atque propius, adeo, ut neque hodie exempla defint, qui hanc famosam dexteritatem pariter assequantur. Interim, ut etiam argumentum suppetat, è quo, tanquam ex ungue Leonem, cognoscere liceat, aut sanè recte estimare, hanc artem, sciendum est, quod nemo vir, cognitus, & nihil controversæ, probitatis, ad nostram notitiam pervenerit, qui hujusmodi Uromantie usu & experimentis inclareruerit. Sed, qui ad nostram notitiam pervenerunt, vel simpliciter de rudi atque imperitiissima plebe fuerint homines, virilis aequa, atque feminini sexus: vel circumforanei, alii etiam præstigiis conspicui, funambulones, Burse prestigiorie, ut germani vocant, agyrte &c. Seil-Dämmer / Taschen-Spieler / Geuer-Gresser / Wasser-Epeyer &c. Vel denique, tum ex hac sece, tum è varia alia colluvie, deceptores, è collidè captatis responsionibus, tandem uno vel altero effato potiri, quo apud stolidè

stolidè credulam plebem, usitatam illam famam sibi conciliant, ut, si vel maxime vicies defecerint, tamen uno aut altero tali feliciter cedente astu, non aliter quam luculento exemplo, vincant.

## V.

Quamvis autem nemo Vir bonus & honestus, hujusmodi proluvie, sive accenseri, sive tantum savere, voluerit; non defunct tamen etiam exempla, ubi quantilibet hujusmodi abusus, tamen non solum tolerentur, sed etiam, si vera sua nomina rebus adhibenda sint, in rei veritate foveantur, & minus laudabilibus exemplis, suffulciantur. Non jam dicam de Magistratum, circa tales homines, certe *injusto*, dubio de hujusmodi nequam artificiis, severè examinandis atque coercendis; Dum aliquando voces tales emissas, narrare percepimus, Des Mannes Kunst seye gleichwohl probat, und treffe ein/ die Natur seye noch nicht so klahr ergründet/ daß man desha ben einen solchen strack verbuthener Künste verdächtig halt. n könne; es könne manchmahl ein einsältiger Mann etwas erfunden/ da grosse Kunst nicht hingelanget/ man könne auf keinen gegründet/ Verdacht bey dem Mann oder der Frau/ kommen &c. ubi tandem, quod in triviali proverbio est, in fine videtur cuius toni, dum vix exemplum auditur, ubi, cum quantilibet industriâ, in enormes ejusmodi abusus, vel curiosius inquisitum, vel severius animadversum, fuerit. Et profectò non sine justâ indignatione legi possunt ejusmodi, circa abusus tales, sata artis, ubi etiam in non postremâ autoritate constituti homines, nec ipsi dubitent, improbis talibus, urinas suas aut suorum, offerendas exhibere, & affectata curiositate, in pessimæ notæ credulitatem prolabi, quâ conscientiæ morsum vix non possint incurtere &c. Dum interim etiam omnis sana ratio, tanquam evidentissimè contradicit, non solum quod *Uromantia*, unquam apud *bona notæ* hominem reperta sit; sed etiam ullus talis artifex, probabilem honestum modum, quo ipse artis hujus *compos* factus sit, indicare possit: imo omnibus

bus sanæ rationis fundamentis adverteretur, quod talibus indi-  
ciis ulla *Physica* ratio sufficere aut quadrare possit.

## VI.

Porro verò, non desunt etiam passim exempla, ubi Me-  
dici Practici quidam, pessima certe inventione, captare ten-  
tiuntur ejusmodi occasiones, ad imprudentem plebem alli-  
ciendam; ut, licet enormes illas nequias, de moralibus quo-  
que, aut simpliciter & restrictissime *individualibus* physicis,  
*sanorum* quoque hominum, conditionibus, (*staturā, physio-*  
*gnomiā, capillorū colors &c.*) assequi, aut pro arte protā &  
probatā collaudare, præcipue vero imitari, neque velint ne-  
que possint: tamen interim variis astutis, *specialiora* que-  
dam, per indirectum *pervestigata*, in usum trahendo, & ge-  
neraliora quedam ex urinā conjiciendo, toti huic improbitati  
quasi pollicem premant, & pessime fundatam opinionem  
vulgi hominum, alant potius, quam cordatè destruere alla-  
borent.

## VII.

Non mali verò, sed malo loco certè positi, sunt aliqui  
Viri, de quorum integritate nemo dubitare possit; qui pessi-  
mis feculi, aut potius loci certi, moribus, cedere potius co-  
guntur, quam ut eosdem ullo modo collaudare gestiant. Di-  
gni certe felicioribus factis, ubi tam artis, quam sua, autorita-  
te, freti, potius cordate proculcare ineptias hujusmodi, imo  
aliquid amplius, valerent. Quis enim v. g. sine fastidio legat  
practicam illam cautelam, quam *Celeberrimus Lentilius*, in  
*tabulā* sua *Hodegetica* commendat, ut Medicus, cui urina ta-  
lis offertur, interroget, quodnam patienti sit nomen; ut nem  
pe hac ratione salutem illud expiscetur, mōsculini an fœmi-  
nini sexus sit patiens? ubi profecto miseram existimamus  
honestorum Medicorum conditionem, qui in ejusmodi gen-  
tem inciderunt, ubi existimationem suam, nedum artis, cer-  
te contra omne decus, hujusmodi affanni suffulcire sit opus,  
& non potius locus suppetat, sive melius instruendi imperi-  
tam, sive ad alios rejiciendi, indocilem plebem. Dum uti-

B

que

que omnibus his cautelis , in fundo nunquam quicquam aliud impetratur, nisi ut ars æque, atque honesti artifices, tandem ludibrio plebejo exponantur.

## VIII.

Quis autem negaverit, quod, quibuscumque tandem causis adscribenda, experientiae tamen constanti affatim nota, siue tergiversatio, sive dissimulatio illa, mutantorum practicorum, passim magnopere foveat abusum *Uromaniæ*, aut ad minimum perversam de illa æstimationem. Quando videlicet plebis pertinaciæ potius, quam credulitati, hoc dandum judicatur, ut illi veluti dignitas & ingens perspicacitas artis tali commento comendetur. Ubi etiam notissima subest æmatio inter Juniores & Seniores , multâ aut pauca praxi instructos, exercitio hujus rei plurimum invigilantes, aut minus exercitos, in qualicunque harum rerum, tum alienâ, tum propriâ, existimatione constitutos. Cujus nempè interventu, paucissimi cordate de toto hoc negotio pronunciare audent; aut, si hoc ficiant, ab alteris maligne carpuntur, & ignorantiae nomine, apud imperitam plebem dissimulantur. Cui rei accedit, quod, (artificum tamen utique persuasione velut autore,) non magis usu receptum, quam publicâ autoritate confirmatum sit, immo constitutum & sanctum, ut pro *Urinæ inspectione* certum solvatur pretium: Quod ipsum institutum, in reliqua tenuiore praxi, nihil utique mirum est, si interdum seducat homines, ad simulandum atque dissimulandum, adeoque veritatem in hac negligendam, & *volumen vult decipi*, cantillandum.

## IX.

Cum tamen interim, non solum *in se*, digna sit contemplatio, & tandem evolutio, ejus quod verum, aut contra falsum sit: sed etiam, si illa esset cura, publici certe interesset abusus talis serio cohiberi, cum in primis in eminentioribus hujusmodi abusibus, etiam veterarum atrium, si usquam alibi, ministriores, aut certe justiores, & penitiore excusione dignissime, subsint suspiciones: Meretur proinde omnino

hoc

hoc negotium solertius expendi, & prout probabilem usum  
promittere visum fuerit, etiam de ejus tolerantia, prudenter  
decerni. Unde, quo utique fundamentum aliquod innote-  
scat, cui disquisitiones similes superstrui possint, querendum  
ante omnia erit, an *Uromantia* ejusmodi, qualis *vulgo mente*  
*concipitur*, detur? aut, quomodo d̄ *ringuenda* veniat à  
*saniore Uroscopia*: & quo usque h̄c etiam lese extendat. An  
*utrarumque aliqua sit necessitas?* aut ad minimum insignis &  
evidens *utilitas*: & in primis, *universalior*, aut *particularis*?  
& quod his questionibus parallelum est, *utrum medicus U-*  
*roscopiad minime carere possit?* an *abusus* tales pandemii,  
tollī possint, sine mediocrius, nihil quoque *necessarioram*, u-  
siūm, sive *sublatione*, sive ad minimum *suspensione*? &, an hi-  
tanti estimari mereantur, ut ne ipsis aliquid detrahatur, etiam  
certior *abusus tolerandus* veniat? aut quo deinde tempera-  
mento, sive publicè, sive privatum, his scandalis consuli possit.

## X.

Quod itaque primum concernit, an *Uromantia* talis de-  
tur, *naturali* quadam ratione *materiarum*, & *naturali cognoscendi* methodo, ut ex *Urina*, non solum *omnes morbi*, sed et-  
iam *omnes*, *singulorum temporariae* conditiones; Præterea  
*sexus*, & *etates*, & harum utrarumque rerum etiam *mutui re-*  
*spectus* atque *habitus*, *certè & constanter*, perspicisci valeant? &  
in primis *certà quadam fundata*, & *plane constanti*, *regula*, *in*  
*genere universis* his rebus satisfaciente. Hoc ipsum à nomine  
certe, nec sanæ rationis, neque experientiæ, testimonio, affir-  
mari poterit. Quanquam enim satis nota sint varia eveni plati-  
scriptorum, res tales operosè & pomposè describentium: sci-  
unt tamen omnes, quoquot à vanitate alieni sunt, practici,  
quid hujusmodi conjecturis tribuere, nedum fidere liceat, in-  
primis in *particularibus corporis affectibus*, tanto magis au-  
tem in *complicatis aut concomitatis variis affectibus*.

## XI.

Tantò impudentior autem est hujusmodi hominum des-  
ceptio, qui e *quālibet urina*, *quālibet enarrare*, vel solent, vel

videri volunt. Cum neminem practicorum latere possit; quod, in primis in *Chronicis* morbis, non solum alias valde variare soleant urinæ; sed in primis etiam in ipsis talium *exacerbationibus*, adeoque sub ipso sæpè numero decubitu. Quotamen non obstante, aliqui prima classis, *plebeji*, & stricto sensu, *Uromantæ*, tantundem, quantum è notabiliter alterata urina, de patientium constitutione, sæpè numero etiam satis exquisitè, pronuncient. Quod certe, quoties hac ratione contingit, nisi *versutia* aliunde expiscandi intercesserit, honesta & naturali ratione non fieri, pro certo habendum.

## XII.

Quomodo autem *Uromantia* differat, atque discernenda veniat & separanda, ab *Uroscopia*; & qualis etiam *Uroscopias* observande sint discretiones: sequentibus in primis absolvitur. *Uroscopia*, *inspectionem Urinarum denotat*, iusto sensu, & pragmatica acceptione; quâ in morbis, non promiscue omnibus, sed certarum *specierum*, non tam æque totus morbus, quam potius pecu iares ejus *conditiones* atque *constitutiones*, agnoscit atque dijudicari possint: aut, si utique etiam *speciei certæ signa aliqua colligi inde possint*, hoc ipsum tamen non æquè ita *perpetuo*, è patientis urina quo cunque die emissa, perspici aut colligi possit: Sed tunc demum, quando urina illa evidentes certas *alterationes*, præ se fert & conspectui exhibet. Ubiv. g., tam in *renals*, quam *vesicæ*, *calculo*, minim è constanter *sanguinis diebus*, apospasmatæ talia, vel *fabulosa*, vel *squamosa*, inveniuntur: Quibus autem diebus cum urina emituntur, si illa his *rebus imbuta*, examineatur, tunc utique *Uroscopia* justæ subjacet.

## XIII.

Quando itaque talis urina offertur Medico; aut Medicus eo tempore urinam sibi afferri postulat, quando notabilis aliqua *alteratio*, *consistente*, *coloris*, *contentorum*, in eadem appetere, tunc proprior est locus, de aliquibus morbis aliquid dijudicandi: licet et hoc judicium, in plerisque, satis adhuc *congetturate*, & minus certum ac indubium, maneat. Quo ipso

sanior

sanior usus hujusmodi Uroscopie, cum ea prudentia ad certos solum aliquos morbos, restringendus venit, ne universalis illa, & indiscreta Uromantia, tanquam autoritate hinc instruatur, & vulgo hominum velut approbetur. Ex quo certe pendent quasi limites verioris, & contra affectatæ aut simulatæ, Uroscopie. Unde usus verior sese sifit in totius masse humorum commotionibus febrilibus, intemperie eiusdem etiam alia, crassiore, & exsuperante, viarum urinariarum crassioribus vitiis, aut rebus insolitis una cum urina prodeuntibus: aut, ut à posteriori, in valde sensibilibus, & conspiuis visui, mutationibus emissæ urinæ, per aliquot horas afermatæ.

## XIV.

Quanvis autem in ejusmodicisbus, aliquid utique ex urina conspicere atque conjici possit, minime tamen otiosa est questio, sed potius justissima, nisi dicere malimus actu necessaria, an utique Uroscopia, ubi etiam quam maxime aliquid ostendere potest, sit necessaria? nempe ita, ut Medicus, sine illa, artem suam & officium, non possit, debitâ cum dexteritate aut felicitate, exercere? Hic, (excepto uno casu, non tamen tam ad Therapiam, quam Prognosin solum, pertinente,) confidenter respondemus negativo, restringentes etiam insuper illud, quod de prognosi diximus, eò, ut, si referentes de ægri constitutione mediocriter consideratos, habeat Medicus, ne quidem opus sit propriâ ejus inspectione, sed afflentes ægro, facile ita instrui possint, ut Medico de hac circumstantia sufficienter relationem exhibere possint. Quis enim tam fatuus est, ut sufficienter premonitus, oculis perspicere non possit, an urina emissâ, sit clarior aut turbulenta? an consistentiam hanc suam, quam primò præfert, usque in alterum aut tertium diem, servet, an vero aliquanto tempore post emissionem, tota crassis-turbida evadat? an, post unam vel alteram horam, iterum clara evadat, aut sub-turbida maneat, sed tamen, utrolibet modo, spissius al quid adfundum demittat? & an denique mutationes hæ, paucis,

an multis demum, horis post emissionem, eveniant. De die enim, quo hujusmodi interrogations instituere debeat, utique ita instruclus esse debet Medicus, ut ipsa etiam, ante illum diem oblatâ urinâ, communissie absolute nullum usum ipsi præbitura sit.

## XV.

Remota autem ita Uroscopiae necessitate, quæstio proxima est de utilitate. Non denegamus hanc; distinguimus tamen gradib⁹ suis. Præcipua est in dijudicandâ secessione febri, quam veteres cœctionis nomine laudaverunt: *Uſus præcipuus prognosticus.* Proximus, in ictero, hydrope, calculo renum, mictu cruento, ulcerosa renum aut vesica affectione. Minor jam, in peritonitis affectibus, hypochondriacis flatulentis & hystericiis: minimus omnium, in capitis affectibus: nullus, in specialium aliarum partium, quatenus speciales sunt: *solidarum, & organicarum,* qua talium. Interim, excepto primo dictorun, nullus horum usum, ejus est ponderis, quin etiam unâ vel alterâ interrogatione, ab ægris, aut assistentibus, injuncta his aliquai animadversione, & secundum hanc factâ Medico considerata relatione, suppleri possit.

## XVI.

Quibus rebus ita se habentibus, sponte patet resolutio questionum, universaliorne, an solum magis particularis, sit utilitas Uroscopiae? & utrum Medicus, dereliquo rerum suarum bene gñarus & peritus, carere, nec ne, possit Uroscopia? jam verò, cum abusus Uromantia, ejusque confusiones cum Uroscopia inter vulgos hominum, non solum passim scandalosis nequam hominum ausib⁹ occasiones præbeant, & fomitem subministrant: Sed etiam prætextus ille qualiscunque utilitatis, tam vulgus ægrorum tenuioris fortunæ, præter necessitatem oneret; quam invidis detractionibus & collusionibus Medicorum, teste experientia, occasiones subministret: secundum has, inquam, omnes considerationes, non vana haberi poterit quæstio, an proper *qualem* cunque usum, qui tamen abusui manifestam viam sternit, interim nulli

nulliusquam *necessitati* superstructus est, potius, *abusus* tolerti debeat, ne talis usus simul auferatur? an vero, ut abusui serio consulatur, *abusus* etiam talis, *non necessarius*, negligi mereatur? Cum tota res *rationalibus* comparationibus superstruenda venit, cuilibet harum compoti, liberum relinquimus judicium: pro nostra vero parte statim pro postiore sententiâ, suadentibus præcipue rationibus paulò ante allatis.

## XVII.

Cum autem mentionem fecerimus, de *qualiscunque*, & in primis *nihil necessarii*, *abusus* *Uroscopie*, propter abusum longe graviorem tollendum, vel *suspensione*, vel *administram suspensionem*: quamvis non dubitemus, facile mentem nostram à prudentibus arbitris hic intellectumiri: placet tamen, tanquam ex abundanti, etiam hic pressius ediscerere, quid his verbis intellectum velimus. Nempe, si propter qualescunque respectus, *Uroscopiam* neque plane tollere placet, (quod etiam *decursus Febrium* intuitu, neque nos ipsi positivè & simpliciter suaserimus,) quid detraheretur universo negotio, arctioris utilitatis cuiuscunq; citra ullum exquisitam *necessitatem*, adhuc in desperandæ, si, *administram* per illud temporis spatum, etiam hujusmodi qualicunque *utilitati* renunciarent Medici, donec cum tempore, tam *vulgaris* melius de harum rerum veritate instrueretur, quam *abusus* illi, semel ita serio prohibiti, imò ubi necesse est, cohibiti, etiam impostrum, si *moderatus* & *legimus* usus repeteretur, tanto severius repressi manere, aut coerceri imperpetuum, valerent. Certè enim, si semel, sublato omni talium rerum *usu*, ipsa experientia satis innotueret populo, quod *Uroscopiae* adeò nulla sit *necessitas*, ut etiam citra omnem ejus usum, nihilosecius & cognosci possint, & curari, morbi: aut ad summum, non nisi in *peculiaribus*, & *paucis* quidem, casibus, verum aliquem usum præstare haec ipsa valeat; Justior longè spes est, quod plebs universa, *inutissiter*, qualescunque etiam sumptus & mercedem, pro vano talium rerum prætextu, expendere de-

futura

stituta esset, quam hucusque, sub contrariis passim circā has res judiciis, credulitatem imperitorum hominum, semper ad vaniora inclinantem, foventibus.

## XVIII.

Allegabimus adhuc unam hujusmodi considerationem, & quæstionem; quæ tamen in hucusque dictis, jam, quantum satis esse potest, ipsa quoque resoluta est. Nempe: an quæsuscunque ille usus *Uroscopias*, tanti adhuc aestimari mereatur, ut propter illum, & ne quid ipsi detrahatur, abusus potius, utpote sine hujus detrimento vix compescendus, etiam ipse tolerandus veniat? Non placet gratuitam hic invidiam, & pedissequam veritatis, odium veritatis osorum, laceſſere: quod evitari non potest, si nominibus suis notemus, personales illas circumſtantias hominum *Uroscopiam sustentantibus*: Unde ſolū breviter, cujuslibet propriæ contemplationi commendamus, cujus prudentiæ, constantiæ, ſerie ſolertie in rebus suis agendis, veracitatis civilis, aut contra, nugacitatis, credulitatis, maledicentiæ, fluctuationis & consiliorum capescendorum incertitudinis, ſemel captorum inconstantiae, compotés & comperti, inveniantur tales homines: ut propterā illorum testimoniis, de qualicunque effatu digna *Uroscopia utilitale*, propter quam nequaquam ſeponi poſſit, fidem habere conveniat? *Civilem* autem certe hujus rei utilitatem, exiguae mercedis respectum, proſecto adeo indignum quiddam, non ſolum ducimus, ſed etiam merito dicimus, ut partim à priori, misera certe debeat eſſe conditio Medicis, ſi hiſ ſubſidiis vitam ſustentare neceſſe habeat: & omnino, à posteriori, pro certo habeamus, nullum inventum iri Medicum, qui hiſ artificiis ita vitam & honestam famam, tutus ſit, ut tanquam exemplar pro rebus hiſ ſtabiliendis, allegari mereatur. Sed, ex adverſo, nimio plura, & familiariora, præſtō ſint ejusmoди exempla, de quibus nōrum ſit, quod non ſolū, per haſtenus indicatas *occasionses & rationes*, hiſ abuſibus verius, quam uſibus, ſuffragia ſua accommodent: Verum etiam invidiæ aliorum locum concedant, aut ſubinde,

non

non sine sui ipsorum contemptu, præbeant, imo querant & affectent. Unde profectio nusquam tanti est ullus harum rerum usus, aut ulla ejus spes, sive rationi, sive experientia, conformis, quanti potius haberi meretur, tam *Uromantiae* temere hinc patescere porta, aut inscitiae propriæ, imò vel plane malitiae, opprobriū.

## XIX.

Ultimo loco inter considerationes nostras, reposuimus questionem illam : *Quomodo bis scandalis, vel publicè, vel adminimum privatim, consuli possit?* publicè aliud nihil cum vero effectu obtineri hic potest, præter *Magistratus* autoritatem, imò potestatē. De hac quid sperari possit, inanis est questio ; nisi, quid expetare sit integrum, experientia potius, quam simplex ratio, spondere valeat. *Experientiam* qui testem habet, gaudeat illâ, & voeat sibi eandem perpetuum & inconcussum. Ubi vero experientia deficit, ratio contrarii eventus communissima allegatur, quod *Magistratus non sufficienter sint informari*. Rem habemus pro certissima; Illud autem passim incertum est, alicubi, an possint melius informari? & hoc iterum, alibi proprio, alibi alieno, defectu: alicubi, an velint melius informari? interim, uti hæc dubia in rei veritate, neque rara sunt in facto, neque levia; ita nihilo etiam minus evidens est, quod, nisi illa auferantur, omnis bona spes, pro questione hac utiliter solvenda, in irritum cadat: imo practice, quod, nisi antè, aut citrā, dubiorum horum ablationem, negotio huic bene consuli possit, omnis spes de illo unquam salutariter decidendo, vana haberi mereatur.

## XX.

Nihil itaque restat, nisi ut *privato consilio* ineundo, via aliqua sternatur. Hic antè omnia distinguendum venit, inter veram, & fallacem, utilitatem. Illa inseparabilis est ab honestate: Hæc ne quidem cum illa, ut vulgo loquuntur, compatibilis aut concilianda. Illa, constans atque certa; hæc incerta, fortuita, & hoc ipso nulla propemodum consideratione servata digna. *Iustum & tenacem proposui virum, non civium ardor*

*ardor prava jubentium - - mente quatit solidâ. Hac eundem est; si quidem nec ut emat melius, nec ut vendat, quidquam simulabit, aut dissimulabit vir bonus. Quamlibet etiam possit in aliquibus rebus Uroscopiz usus esse; si tamen necessitas nulla est, & tamen usus ille abusibus magis favet, quam detrahit, quis æquam hanc reputaverit conditionem, quæ tanquam æquilibrio quodam ita suspensum tenere possit animum, serio ad rerum harum decretoriam distinctiōnem respicientem? tanto magis, cum vulgus hominum, vel non possit, vel non velit communiter, acquiescere discretiōnibus illis, quibus alibi *utilis*, alibi *inutilis*, nusquam autem *necessaria*, hujusmodi inspectio notari potest.*

## XXI.

*Unde quidem, si serio, adversus abusus, Uromantice potius, quam Uroscopiz, prospicere sibi velit Medicus, sepositis tantisper leviculis quibusdam utilitatibus, ex Uroscopiz usu querendis, optime sine dubio fecerit, si urinas, simplicissimæ Diagnosēos causâ sibi oblatas, nullas acceptet aut admittat; sed simpliciter, primò omnium loco, exigat, ut præcipue circumstantiæ, quæ æger sensu percipiatur, sibi memorentur. Non autem frustrâ hæc expressione utor, quæ in primis in Germanico idiomate usum suum habet. Duo enim communissimè in praxi quotidiana occurruunt abusus, circâ denunciandos Medico, in primis extrâ pomœria decumbentium ægrorum, affectus. Primo, ut simpliciter urina offeratur, è qua Medicus non solum speciem affectus sed in primis presentem symptomatum gradum, eloqui debeat: ea etiam subinde pertinacia plebejorum, Uromantice inhiantium, ut verbum eloqui recusent, & simpliciter expectent, an etiam Medicus arte sua affecetur sit ægri querimonias, eo tempore præcipuas: quod si non fiat, non satis intelligentem aut certum eum esse rerum suarum, interpretantur. Unde etiam subinde plebs urbana, in suis suorumque ægritudinibus, ne quid dicere tencatur, mentitur, aliunde sibi transmissam esse urinam, sine reliqua notitia, nisi quod patiens informari aveat,*

quo

quo morbi genere laboret. Alterum offendiculum est, quod patientes Medico non tam denuncient, quid mali *sentiant*, sed mox ipsi, pro sua aut aliorum concipiendi ratione, affectui suo *jam nomen imponant*. Qua de re, nisi quidem tempus affaniis hujusmodi prodigere videar, duo exempla me morare licebit. Studiosi duo, ægritudini obnoxius unus, contubernalis ejus, aut familiaris, alter, convenientur Medicum, per plures & ferias occupationes, inutilibus auscultationibus vacandi minus compotem: ibi prior contubernalis ille, tanquam advocatus alterius, præmissa honorifica salutatione, amicus hic meus, inquit, vehementer, aut certe multum incommodo, laborat malo hypochondriaco. Volebat addere petitum, ut medicus consilio & auxilio dignari ægrum haud gravaretur: Sed interpellabat eum ex abrupto patiens: non non, non est malum hypochondriacum, sed &c: ibi statim, vultu etiam ad contentionem formato, expiebat alter, esse utique hoc ipsum malum. Ante oculos erat exarsura acrius disputatio, nisi Medicus ridiculum certamen occupasset, jubendo ægrum narrare, quid *sensu* percipiat. Ita fore, ut ipse potius, quam illi, decernere possit, quod nam affectui nomen conveniat. Vir, in suo studio, nec eruditione, neque prudentia exigua instructus, præjudicio interim, quod statim audietur, non vacuus, literis consulens Medicum, post alias incassum adhibitos, ita scribit: Pr. Pr. Hochgeehrter Herr. So viel ich aus derer Herrnen Medicorum unterschieden Meinungen abnehmen können so ist meine Beschwerung/ ein affectus hypochondriacus scorbuticus bey welchem nebst der Verstopfung des kleinen geädvers/ und übermäßiger Säure in primis viis, das ganze Geblute mit saibliss scorbuticis verunreinigt/ welches mir dann frey ich viel und mancherley passiones verursachet sc. quas tamen nullas nominat, nec ullum symptoma memorabat. Monitus autem est, ut sepositis opinionibus, quas è dissentientium Medicorum placitis frustra collegisset, simpliciter memoraret, quid *sensu* percipiat, præcipue, & omnium constantissime,

molestatum. Quia nempè discretionē, emendanda est indiscreta plebis, alioquin non plinè injusta, exceptio: Wann ich wüste was mir fehlt/ so dürfste ich den Doctor nicht drum fragen. Nempè ut instruantur, non eo sensu ipsos interrogari quasi Medicus ab ipsis informandus sit, quo affectu laborrent: sed solum, quo *sensu* malè ipsis sit. Nicht was ihnen fehle/ sondern was sie fühlen: tunc nomen affectui impositurum esse Medicum. De talibus itaque perceptionibus *sensu* libis differere, per se, aut per nuncios, si obstinatè recusat æger, nulla causa est, quin sibi relinquatur, & aliud querat, apud quem ipsis sit, initio, uti vult, successu, ut potest.

## XXII.

Quando verò de hâc obstinatione concessum est Medico, tunc integrum huic erit dispicere, quam ulteriorem utilitatem, ex inspectione urinæ talis ægri sperare liceat: ut eam hoc intuitu, opportuno tempore, offerri sibi jubeat. Que tamen res, ne etiam ipsa, neque semper forte injustam, suspicionem præbeat callidæ plebi, cautelam commendamus absolutissimè profutram; ut Medicus, ex inspectione urinæ suo iussu sibi allata, solitum illud vectigal, non modo non peccat, sed neque oblatum accipiat. Ita nunquam negabunt, petenti, urinam toties quoties exhibere.

## XXIII.

Juvenibus imperitis, non viris praxeos compotibus, & peritiâ ipsa hârum rerum scientiis, occinendum venit, quod vulgo solet: tu quidem frequentioris praxeos compos, & sive opinione, sive autoritate, potitus, facile capistro hoc coérces indomitam multitudinem: ego si hâc severitate illam regere suscipiam, destitutus mox omni commercio, & ab aliis, plebi libenter morigeris, insuper inficiæ diffamatus, otiosus in posterum sedebo, neglectus, imò contemptus. Dabo, Præses, remedium adversus hoc inconmodum, ita infallibile, ut omnia medicamenta reliqua, tam fida atque certa esse, omnibus votis optandum sit. Age tu illud, ut, sub Divinâ benedictione, compos sis artis, cognitis morbis, dodè, peritè,

peritè adeoque feliciter, ægros curandi atque sanandi: statim dabo vades, non solum nullo tibi detrimento fore harum rerum justam pervicaciam; sed, omisis illis haricis, tuam fore præxin: & longè meliorem atque digniorem, quam ab *Uroscopia*, existimationem, firmitatem etiam & perpetuo constantem. Tanto magis, cum plebs non undiqueque ita sit imprudens, quin facile deinde recordetur, inter alias *Uroscoporum* talium divinationes, longe plurium, vel fallacium & callide datarum, vel manifestò falsarum. Quod non è *speculatione*, sed longè & multiplici experientia, tibi assevero, & bona fide audeo policeri.

## S. XXIV.

Si quem tamen, vel cupiditas, vel ipsa curiositas, incessat, vel utendi *Uroscopia*, vel quid in illa vulgatis traditionibus consentiat, experiundi; habebit ille occasionem huic suo desiderio satisfaciendi, si, certior de morborum genio, *Urinas* sibi adferri præcipiat, & quantum illæ descriptionibus vulgo traditis quadrent, solertiùs completerur. Modo distinguere discat, alterationes, que, tanquam morbo essentiales, perpetue propterea inveniantur; aut, si maxime non quotidie, tamen aliquo tempore, in morbo tali se se offerant; quid harum vel evidentiis, vel conjecturâ per à πολλῆς Φαρασταὶ instituenda, judicari inde possit: quod in primis de circulis seu coronis valet. In quo negotio, ex antiquis, *Etuarium*, è propriis *Jodocum Willichum*, cum Commentario *Reusneri*, præcuntem observare poterit. Tandem tamen etiam attente distinguet, quæcum mutationes tales, ab ipso morbo simpliciter, aut sub usu variorum medicamentorum, se exferant. Ita enim partim oculari, & in primis repetitâ, experientia, distinguere discet colores, quos sub variis generalioribus appellationibus notant talium rerum scriptores: quos proinde propriâ quadam sensuali determinazione cognitos habere studebit. Sub his omnibus aurent conaminibus, merito cavebit, ne de temere oblate Urina, statim, antequam per sufficientem quietem, aut plane redu-

*ctionem in primum statum, (per tepidum calorem,) & expe-  
ctatam veram ejus mutationem, promiscue respondeat, aut ju-  
dicum ferat. Ita certe habebit, quod agat, si quidem nihil  
melius habet quod agat.*

## XXV.

Non autem æque otiosum usum præstabit utique Uri-  
næ inspecþio, in Febribus, in primis *acutis*. Cum enim ibia-  
liqua utique sit *utilitas*, perþpiciendi, an materia morbida, vel  
altius & intimius adhuc innexa hæreat massa humorum; vel ab  
illa *separari* incipiat, adeoque tam *secretioni*, quam *excre-  
tioni*, magis magisque obsequi: & quomodo hæc secessio  
magis magisque *sincerè* procedens, massam humorum ma-  
gis magisque *puriorem* & *sinceriorem* relinquat: non pot-  
est proinde fieri, quin hæc ipsa observatio, utique non nullam  
utilitatem Medico exhibeat. Tantò magis, cum utique hæc  
res, *secessio* inquam iusta, tam ad *secretionem*, quam debi-  
tam & sufficientem *excretionem*, ita absolute *necessaria* sit, ut  
sine illâ, in primis in *acutis*, omnis reliqua ars, imo omnis alia  
*spes*, irrita sit & frustranea; e contrà vero, debitus hujus pro-  
cessus, omnem spem *boni eventus*, certissime suffulcat: Quam  
spem tempestivè *præcipere*, tam Medici, quam patientium,  
variis commodis servit: Est utique propterea hæc *Uroscopie  
pars*, non ita simpliciter, neque contemnda, neque negli-  
genda.

## XXVI.

Dummodo etiam Medicus prudenter feso gerat, in mo-  
do, hanc inspectionem exercendi; tantum abest ut inde præ-  
judicium aliquod metui possit, pro *abusu* reliquo, sive *Uroscopie*, sive adhuc minus *Uromantiae*, velut *auctoritate* quacun-  
que instruendo, ut potius perpetuam occasionem præbere  
posit, ad *abusus* ejusmodi notandos atque destruendos. Ita  
enim certe, si Medicus edicat, *Uroscopium*, nequaquam *ab-  
solutum* aliquem, sed plane *refrigatum*, habere usum; neque  
tam simpliciter ipsi *speciei* morbi *dignoscendæ*, quam solum *u-  
nius* aut *alterius* morbi, certis *circumstantiis* *estimandis*, ali-  
quid indicii præbere: quod ipsum, quando vel *utile*, vel *nece-  
sarium*

*sarium sit, perspicere, non patientis, sed Medicis arbitrio debet. Imo, cum hæc res peculiari certo tempori alligata sit, quod non ipse patiens, sed solus Medicus, dignoscere atque determinare, intelligere possit aut debeat: quod ipsum etiam non semper, & apud quoslibet patientes pariter, necessarium existat: inò nec etiam propriè & absolutè ad ipsam summam curationis, quā potius solum ad prognosin melioris aut trifloris spei, pertineat: Unde etiam simpliciter à se, Medico, determinari possit, quando vel necessarium sit, vel quo tempore propriè verum aliquem usum præbere possit, Urinam inspicere, adeoque suo iussu illam sibi exhibere, &c. Ex omnibus, inquam, his circumstantiis, cum debita prudentia observatis atque tractatis, manifestum satis est, non posse pro Uroscopie abusu aliquod hinc præjudicium subnasci. Interim, si prudentia negotium hoc destituat, longè utique consultius consultius fuerit, etiam ab hoc abstinere, & ita ab omni Uromantice qualicunque approbatione, imperitiores distinere. Quod quidem tantò facilius est factu, cum res ipsa declareret, quod etiam hæc urinæ contemplatio, nullam necessitatem, inò nullam utilitatem absolutam, habeat; sed solum respectivam, nempè prognosticam, non autem Therapeuticam. Sicut etiam in rei veritate, nequaquam æque opus est, apud singulos patientes febricitantes, inspectionem hanc exercere aut exigere; quando nempe ex aliis signis satis placidus morbi decursus colligi potest: aut contra, reliqua morbi symptomata, præter ordinem, incommodius atque deterius esse gerunt. Unde satis elucecit, quod neque, cœtera prudenti atqui perito Medico, tam necessarius sit usus Uroscopie, in ipsis quoque Febribus: neque quicunque tandem adhuc suppetit, sine prudentiæ debitâ, satis bene cedere possit.*

## XXVII.

Tanto minus autem etiam ad veram *Diagnosin* mutuæ *conspirationis*, *connexionis* atque *consecutionis*, morborum, qualecumque veluti *divinationem*, instruere potest quantumlibet *Uroscopie* peritia. Quæ tamen scientia, uti sumum,

&amp;

& planè maximum, usum habet, non solum ad veram atque solidam *Pathologiam*, sed etiam recte & vere *methodice*, instruendam *praxin* seu *Therapiam*: ita è longe aliis fontibus petenda, & non minus soleribus, quam peritis interrogatoribus, de progressis aut conjunctis, occasionibus, & causalib[us] ea- rundem habitu, elicienda venit. Unde tanto minor utique dignitas & utilitas *Uroscopij*, satis elucescit; ex adverso vero vera *necessitas*, quæstionibus potius, sed ipsis tamen etiam prudenter instituendis veram morborum indolem pervestigandi, & ex hac convenientem medendi methodum, inveniendi & for- mandi. Cum abusus, non solum *Uromantia*, sed ipsius etiam *Uroscopie*, saltem praesentis qualiscunque habitus morborum, indicia aliqua, hinc inde aucupans, longe dignius à Medico, rerum sursum certiore ratione perito, planè negligatur, quam in incertos & captatorios usus aservetur: è quibus longe certius, ab imperia plebe, (qualescunque, vix evitandos defectus, in imperitiam Medico imputantur,) contemptus & sinistra judicia impudent, quam à constante, & justi propositi tenace Urin- rum inspiciendarum atque judicandarum detractione.

## XXVIII

Fundamentum autem certissimum, omne incommodum, quod vul- gus Practicorum ab hac derrectatione metuit, evitandi, & longè meliorem existimationem, atque fiduciam, etiam ab imprudentissima de reliquo, imò vel immodeslā & protervā, plebe, obtinendi, in eo collocatam invenie- tur, quod jam superius etiam laudavimus, ut Medicus certioris *clinice pathologiae* probe gnarus, & tam *methodo practica* verè rationali, quam fidis medicamentis, optimè instructus feliciter curandis morbis sese parem ostendat. Ita enim facile & certissime quidem, fiet, ut plebs de ob- stinata illa *Uromantia* & *Uroscopie* prætensione Medico concedat, & di- positioni illius universum negotium obedienter permittat. Facile nempe ita, non tam persuasionib[us], quam evidenter rerum exemplis, convincenda, quod ad felicem ordinationem, & sibi salutarem efficaciam, artis Medicæ, maximam partem *nulla necessitas*, undiquaque vero ita *ex quo sit utilitas Uro- scopij*, ut jus fasque Medico esse consentiat, pro suo arbitrio illa supersedere. Atque ita proposito nostro decenter perfundi esse confidimus, nempe merito coercendos abusus, & maximopere restringendos usus *Uroscopij*, com- monstrandi. Denm autem T. O. M. omnis veritatis atque salutaris utilitatis, unicum fontem & Autorem, pro præstítu nobis ad nostrum institutum exequendum gratia, humili- mis laudibus venerantur.

S. D. G.

NOBILISSIMO DOMINO  
CANDIDATO,  
**P R A E S E S**  
S. D.



Orruptæ humanæ rationis, & indomitæ superbæque, voluptatis magis, quam voluntatis, cum passim varia occurrant testimonia & documenta, non sequiorem tamen inter omnia talia locum occupat illud, quod homo, quæ rationi non solum minus perspicua existunt, quin ne quidem de ipsa veritate fatis extra omne dubium posita, nihilominus passim avide amplectatur, & cum fidem non possit, saltem amplam, immo enormem, spem de illis concipiatur: nempe magis talia sperans, qualia vellet obtinere, quam in illis, qualia scit, aut tantisper experitur, acquiescens. Quæ vero rerum humanarum pars ab hac labe intacta manet! & quam justa hinc est, cuiuscunque tandem ævi ad sensu, si vel maxime non totidem verbis, probata illa parcomia: *Bene sperando, & male habendo, transit vita mortalium.* Quamvis autem ita omnino in variis humanis negotiis, res sece habeat, tamen nulli

D

pro-

propemodum talium secunda hic est Medicina; opinionibus certe credulis, imò passim frivolis, ita obruta, ut, quod ad solidam rationem attinet, vixusquam quidquam sincerum in illa deprehendatur. In ipsa inquam Arte, nedum portentosis illis temerariis ausibus, quibus passim sub Artis hujus nequam prætextu, in vitam, sanitatem, & fortunas mortalium, graftantur, nusquam alias facile tolerandi, & vix non nota infamiae male ferriati. Sane verò, meritò fastidiunt sinceri animi, tam protervè negligi, tam rationi quam experientiæ superstructa, jam inde ab omni cultiori ævo, emicantia artis fundamenta; substitutis in illorum non solum locum, sed & dignitatem, innumeris affaniis, &c, non magis quam somnium cum rerum veritate consentientibus, speculationibus. De ludi verò otiosa curiositate lasciviens genus humnanum, ostentationibus experimentorum aliquot, aut spectaculorum, è profectiōne animalium, conturbatione vegetabilium & mineralium, & motitatione fabrilium machinarum; quales, cum in suo ordine, seorsim, possent aliquem locum mereri, aut adminimum, (ita seorsim & sigillatim,) spectaculo inservire, ei tamen scopo cui destinantur, non modo nullatenus inserviunt, sed etiam à verioribus seriis conceptibus, animos potius avertunt, & in perpetuos errores seducunt. Aureum profe-

-01q

S P G.

profecto hoc loco, allegari meretur illud Isocra-  
tis ad Sophistas: οὐ μεγάλας ποίησι τὰς τέχνας, οὐ τολ-  
μῶντες ἀλλαζούντες περὶ αὐτῶν, οὐδὲ ὅτινες ἀν, ὅσου ἔνεστι ἐν  
ἰδίᾳ, ἐξευρεῖν δύνανται. Non magnas efficiunt artes, qui ja-  
cialentiae circa illas indulgent, sed qui, quicquid in qualibet  
earum verè in est, perspicere atque reperire valent.  
Sed præponderat, communiter, quod ab iisdem  
Græcis dicitur: ἀμαθεία θεᾶσσα φίγει: Ignorantia ja-  
cialantium & audaciam parit; & quod utriusque lin-  
guæ proverbio notatur, admirationem, ignorantie  
filiam esse. Profecto, virum quidem expectat labor  
ille, demonstrandi, quam nullus allegatarum ha-  
rum rerum sit usus, ad Medicinam; anatomie in-  
quain, maximæ partis, & in primis operosissimæ;  
chymiae, etiam communissimæ pessimæ intellectæ:  
& tam physicæ maximæ partis, quam vulgo jactatae  
mechanicæ. Sed cum labor hic otii etiam compo-  
tem omnino postulet, & vix dignum videatur,  
laboriosæ certæ, operaæ pretium: à bonis fatis ex-  
pectandum est, quis huic labori tempus suum im-  
pendere, posit magis, quam velit. Tu interim,  
Nobilissime Candidate, dignum fecisti liberali tuâ  
indole, dum satis adhuc familiarem abusum, falso  
ostentatæ artis Uromanicæ, publica tua Inaugurali  
Dissertatione perstringere suscepisti. Non audi-  
visti solum, sed complexus es ipso animo, quo in  
Regia hac Academia studiis sedulò incubuisti

D 2 tempo-



tempore, tam quæ veris atque solidis usibus idonea, & proinde expetenda, quam nullis usibus, imo aberrationibus, & temporis dispendiis propria, evitari, mereantur. Perspexisti, quid serii atque circumspici Judicii requiratur, tam ad di-  
gnoscendos atque pernoscentes corporis huma-  
ni defectus, quam ad justam, rationi & rerum na-  
turæ consentaneam, methodum. Intellexisti  
quanto plus hic habeat quod agat solers & rerum  
suarum vere fatagens Medicus, quam ut ad super-  
vacua, in primis autem non nisi vana specie luden-  
tia, animum adjicere, vacare ipsi possit. Indignas  
autem arte, cum omnibus cordatis hujus Cultoribus,  
merito Tu scis, atque detestaris, fraudulentas Machi-  
nas, quibus non tam arti, quam indignis pariter scopis,  
species hinc inde queritur & admiratio apud imperitum  
vulgus. Unde thema pro Dissertatione tua Inaugura-  
li elegisti, quo fastidium hujusmodi nugarum testatum  
redderes, & publicè demonstrares. Gratulor Tibi de ta-  
libus coeptis; perge porro, quæ animo hucusque com-  
plexus es solida artis dogmata cum debita solertia in pra-  
eticos usus convertere, & contempta inani specie, veris  
atque certis artis usibus invigilare. Ita fiet, ut felices suc-  
cessus, & exoptatissimi eventus, nunquam Te frustraturi  
sint: Dummodò divinam benedictionem, seris votis  
Tibi conciliare memineris: quod cum antiquissimum  
Te habiturum non sperem magis, quam confidam, feli-  
cissimos semper successus securus omnis, imo omnia,  
divinitus, prospera, sincero animo com-  
precor. Vale.

CLARISSIMO ATQVE EXP-  
RIENTISSIMO  
BERNHARDO RAPPARD

SALUTARIS DOCTRINÆ LAUREAM

gratulatur

GVILIELMUS TURCKIUS.



Rte salutifera squalentes cor-  
pore morbos  
Depulit, & primus læti medica-  
minis usum  
Ostendit, succosque, herbasque,  
Asclepius orbi,  
Grata deinde dedit Memphis signumque, do-  
mosque,  
Et coelo Divum statuit, precibusque rogavit.

Error

Error Niliacam traxit in crimina plebem;  
Immortale tamen tribuit, sine criminе, nomen,  
Victurasque legi voluit per secula laudes.  
Debita non minor est auctori gloria, cuius  
Inventum Medicina fuit, quemque agmine  
longo  
Posteritas patrem sequitur, quamquam patre  
major;  
Prima etenim rudis ac tenuis doctrina medendi,  
Tentamenta voces, quæ deinde recentior ætas  
Exornata magis summa ad fastigia duxit.  
Tristia sæpe tamen videoas commenta vagari.  
Illic credulitas, illic temerarius error  
Deducunt faciles ramosa in compita mentes.  
Hinc lucri funestus amor, dum posthabet auro  
Vitam animamque hominis, Divinam strangu-  
lat artem.  
Adspice, quæ tulerit saccati corporis humor?  
Nullus odor lucri, quem foetens mittit urina,  
Offendit nares. Lucri bonus est odor ex re  
Qualibet. Ergo oculi, & nares, & lingua  
feruntur.  
Ad quæstum, trepidusque logis illuditur æger.

TOTI

Tædia

Tædia te subeunt moris RAPPARDE ne-  
fandi,  
Tu scelus & vitium justa ratione repellis,  
Restituisque decus , lumenque , ac artis ho-  
norem.

Cliviaco natura jugo tibi contulit ortum ,  
Rhenus ubi properat vicinos visere Belgas ,  
Infuditque aciem genio , mentique calorem .  
Mox animum fixit doctorum cura virorum ,  
Eumeniasque artes docilem stillavit in aurem .  
Hala petita dehinc , rerum cognoscere causas ,  
Et facilem , docuit , venienti occurrere morbo .  
Orbe sitas alio peragasti sedulus oras ,  
Ne quid inexpertum tua cura relinqueret  
usquam ,

Unde venire queat non illaudata voluptas  
Mentibus ingenuis , aut ægris dulce levamen  
Corporibus . Quid Belga ferat , quæ culta  
Britanni

Patria Pæoniis augmenta adjecerit ausis ,  
Quæsti prælens , animoque reposta tenaci ,  
Artis ad egregiæ splendorem munere servas .

Di

Di precor hoc jubeant, ut tarda cadavera  
Terram

Te moderante preinant, & tanto vindice Iudicis  
Sit minor, atque artem melior fortuna secundet.



Unde aenone dicit non huiusmodi alopexis  
Menistis iudeumis aut sevis huius leviter  
Cotyledonis. Quia Belga letis, die cotitis  
Patis paxonis subtilius agitcessit aulis  
Gentilium plesios summodie rebouya letis  
Aris aegrotae legendorum uniuscic letas  
D*i*

**ULB Halle**

001 871 331

3



SB.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Farbkarte #13

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA;  
DE  
**UROMANTIAE**  
**ET UROSCOPIÆ**  
**ABUSU TOLLENDÖ,**

*Quam,*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBUR-  
GICO, DUCAT. MAGDEB. GUBERNATORE,  
RELIQVA,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,  
*GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,*

PRÆSIDE

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,**  
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN.  
ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN.

*DN. PATRONO, DOCTORE AC PROMOTORE SUO,*  
*omni Observantie atque Honoris Cultu etatem colendo,*

**PRO GRADU DOCTORALI**

Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis,  
More Majorum Solenni obtinendis,

*A.d. Septembr. MDCCXI, boris ante & pomeridianis*  
Publicæ Eruditorum disquisitioni submitter

**BERNHARDUS RAPPARD,**  
CLIVIA CLIVENSIS.

HALÆ MAGDEB. Typis CHR. HENCKELII, Acad. Typ.

